



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Qualiter à diabolo & a peccato redemit nos Christus per mortem. A

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

*Amb. in com-
mentariis ad
illud cap. 9.
ad Hebraeos,
ideo noui te-
stamenti
rom. 5.
Et glos. ordi.
super 9. cap.
epi. ad He-
braeos. Ad ser-
uiendum
Deo uiuenti.
Num. 35. d*

stano, quam illi Adam superbijt, per esum ligni
vetiti noxia delectatione periruedo. Si ergo illius
superbia omnium extitit ruina, ipsum de paradisi
so mittens foras, aliisque occludens ianuam: mul-
to magis Christi humilitas, qua mortem gustauit
ingressum regni cœlestis omnibus suis impleto Deo
decreto aperire ualuit, atque decreti delere chiro-
graphum. Ut enim ait Ambr. Tantum fuit pecca-
tum nostrum, ut saluari non possemus, nisi unigeni-
tus Dei filius pro nobis moreretur, debitoribus
mortis: sed sic dignos nos fecit testamenti, & pro-
missæ hereditatis. Quod non ita est intelligendum:
quasi non alio modo saluare nos potuerit, quam
per mortem suam: sed quia per aliam hostiam non
potuit nobis aperiri regni aditus, & fieri salus nisi
per mortem unigeniti: cuius tanta (ut dictum est)
humilitas & patientia, ut eius merito pateret cre-
dentibus in eum aditus regni. Magna ergo in morte
unigeniti præstita sunt nobis, ut liceat nobis redire in
patriam, sicut olim in morte summi Pontificis his qui
ad ciuitatem refugij confugerant, secure ad propria
remeari. Ecce aliquid ostensum est, qualiter
per Christi mortem aditus regni sit nobis paratus.
**HIC QUALITER A DIABOLO ET A PEC-
cato nos redemit per mortem.**

DISTINCT. XIX.

*De redem-
ptione nostra
facta per pas-
sionem Chri-
sti quantum
ad efficaciam,
& utilita-
tem.*

Nunc ergo quaeramus, quomodo per mortem
ipsi à diabolo, & à peccato, & à pœna redem-
pti sumus. A diabolo ergo & à peccato per Christi
mortem liberati sumus: quia ut ait Apostolus, In
sanguine ipsius iustificati sumus: & in eo quod su-
mus iustificati, à peccatis soluti, à diabolo sumus
liberati, qui nos uinculis peccatorum tenebat. Sed
quomodo à peccatis per eius mortem soluti su-
mus? Quia per eius mortem ut ait Apostolus com-
mendatur nobis charitas Dei, id est, apparet exi-
mia, & commendabilis charitas Dei erga nos in
hoc,

hoc, quod filium suum tradidit in mortē pro nobis peccatoribus. Exhibita a. tantz erga nos dilectionis arra, & nos mouemur accendimurque ad diligēdum Deum, qui pro nobis tanta fecit; & per hoc iustificamur, i. soluti à peccatis iusti efficiamur, Mors ergo Christi nos iustificat, dum per eam charitas excitatur in cordibus nostris. Dicimur quoq; & aliter per mortem Christi iustificari, quia per fidem mortis eius à peccatis mundamur. Vnde Apostolus. Iustitia Dei est per fidem Iesu Christi. Et item, Quem Deus proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, i. per fidem passionis: vt olim aspicientes in serpētem æneum in ligno erectum, à morsibus serpentum sanabantur. Si ergo recte fidei intuitu in illum respicimus, qui pro nobis pependit in ligno, à vinculis diaboli solvimur, i. à peccatis: & ita à diabolo liberamur, vt nec post hanc vitam in nobis inueniat quod puniat. Morte quippe sua, vno verissimo sacrificio, quicquid culparum erat, vnde nos diabolus ad luenda supplicia detinebat, Christus extinxit, vt in hac vita tentando nobis non præualeat. Licet n. nos tentet post Christi mortem, quibus modis ante tentabat: non tamen vincere potest, sicut ante vincebat. Nam Petrus qui ante Christi mortē voce ancillæ tertius negauit, post mortē ante reges & præsides ductus non cessit. Quare? quia fortiter, i. Christus veniens in domū fortis, i. in corda nostra vbi diabolus habitabat, alligauit fortem, i. à seductione compescuit fidelium: vt tentationem, quæ ei ad huc permittitur, non sequatur seductio. Itaque in Christi sanguine, qui soluit, quæ non rapuit, redēpti sumus à peccato, & per hoc à diabolo. Nā vt ait August. in ipso vincuntur inimicæ nobis inuisibiles potestates, vbi vincuntur inuisibiles cupiditates. Fuso enim sanguine sine culpa, omniū culparum chirographa deleta sunt, quibus debitores, q̄ parvulorū.

Rom. 3. e
ibidem c
Num. 21. e

Luc. 22. f

Luc. 11. c

psal 68.

In li. de ago-

na Christia-

n cap. 2. ad

p. incipium.

Tomo 3.

Aug. in fins

cap. 10 lib. 2.

de peccato ū

meri ū &

rem s̄i. re

& ba. tismo

q̄ parvulorū.

in eum credunt, à diabolo ante tenebantur. Vnde Qui pro multis effundetur. Per illam ergo redempti sumus in quo Princeps mundi nihil inuenit.

*Aug. in fine,
c. 31. eiusdem
lib. 3. de pec-
catorum me-
ritis.*

Vnde Aug. causam & modum nostræ redemptionis insinuās ait, Nihil inuenit diabolus in Christo vt moreretur: sed pro volūtate patris mori Christus voluit, non habens mortis causam de peccato, sed de obedientia & iustitia mortem gustauit, per q̄ nos redemit à seruitute diaboli, incidit enim in principem huius seculi, qui seduxit Adam, & seruum fecit, cepitq; nos quasi vernaculos possidere, sed venit redemptor & victus est deceptor. Et quid fecit redemptor captiuatori nostro? Tendit ei mscipulam crucē suam: posuit ibi quasi escā sanguinē suam. Ille a. sanguinem suum fudit, non debitoris, per quod recessit debitoribus. Ille quippe ad hoc sanguinē suū fudit, vt peccata nostra deleret. Vnde ergo nos diabolus tenebat, delictum est sanguine redemptoris. Non enim tenebat nos nisi vinculis peccatorū nostrorū: istę erant catenę captiuorum. Venit ille alligauit fortē vinculis passionis suę, intrauit in domum eius, i. in corda eorum, vbi ipse habitabat & vasa eius, sc. nos eripuit, q̄ illi impleuerat amaritudine sua. Deus a. noster vasa eius eripiēs & sua faciens, fudit amaritudinē, & impleuit dulcedine per mortem suam à peccatis redimens, & adoptionē glorię filiorum largiens.

*Matth 12. c
Marc. 3. d
Ad Rom. 8. d*

Cur Deus homo, & mortuus.

B

Factus ergo homo mortalis, vt moriēdo diabolū vinceret. Nisi enim homo esset, qui diabolū vinceret, nō iuste sed violenter homo ei tolli videretur, q̄ se illi spē subiecit. Sed si eū homo vicit, iure manifesto hominē perdidit, & vt homo vincat, necesse est vt Deus in eo sit, qui eum à peccatis immunē faciat. Si enim per se homo esset, vel angelus in homine, facile peccaret, cum vtrāq; naturā per se cōstet cecidisse. Ideo Dei filius hominem passibile sumpsit,